Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2429
Quelle:
Copyright:

Et Christum respondentem:

Ante meum vultum cum nil remanebit inultum.
Iudicium mecum tractabitis omnibus equum.

Fol. 47. p. 2. metrum *Boethii* inseritur: *Nubibus atris condita nullum* &c. *Fol.* 80. p. 2. Paraphrasis Prophetiae *Jonae* occurrit, quae est *Marbodi* Ep. *Redonens.* de quo *Cod.* CCXCIII.

Uos qui nescitis. nunc discite de niniuitis.
Discite de iona dominum fugiente propheta.
Qualiter est mersus. aut qualiter inde reuersus &c.

Clauditur tota Tractatio oda sapphica ad B. V. quae incipit:

Hostis antiqui laqueis tenentur (tenemur)
Fortiter astricti (stricti) *nec adest facultas*
Ulla surgendi triplici ligatis

Fune reatus.

Corruunt uires uiciis subacte
Queque uirtutum. Sequimurque sponte
Qua premit torpor miseros furorque

Prouocat acer. &c.

De aetate Autoris ex eo aliquid conjicias, quod *fol.* 49. *beatum Bernardum clareuall.* citet. *Guilelmum* Abb. *S. Theodorici* amicum ejus *de Sacramento Altaris* scripsisse invenio. Quid vero? Nemo explicat. Praetera *Guilelmus* hic ante *Bernardum* obiit.

VI. *fol.* 125. *Incipit proemium anselhmi episcopi canturiensis in librum qui appellatur prosologyon.* Initium: *Postquam opusculum quoddam uidelicet exemplum meditandi* &c. Prologum excipit Elenchus Capitum paullo aliter divisorum, quam in Ed. *Paris. Gerberonii* 1721. p. 29. f. Ceterum lectio proba. Ad calcem: *Explicit liber prosologyon uenerabilis anselhmi abbatis beccensis monasterii et post archiepiscopi canturiensis ecclesie.* Et statim subjungitur: *Meditatio eiusdem ad excitandum timorem*, quae insit: *Terret me uita mea. Namque diligenter discussa* &c. Est in Editis p. 207. *Meditatio II.* sed in *Cod.* multa e medio deficiunt. Finis iterum consonat.

VII. *fol.* 133. p. 2. *Septem sapiencium sententie septenis versibus explicate in quibus ipsarum aliquid est*